

msmann.
elipsens.

proprij
nis

entis,
nis

sagaru per
recura

178
178





11 2.76.

INSUNT.

Consiliūm Flyer: Pansmanni de
spoliatis mercatoribus in tu
mūltū Lipsensi.

De hominibꝫ. proprijs Johan:
Frieder: Husani.

Aūthoritas Juridica Forsteri.

Pro glossis Accursianis et
Doctore. commentarijs, Absqꝫ
is Jus non intelligi posse,
Johan: Saxonii.

In titul: de Reū et verborū
Significat: Oratio Locken.
bachs.

Historia Juramentorum Jacoby
Lertz.

De finibus Juris prudentia
Sathardi Storsty.

De purgatione Sagarum per
Legitem, Hermannus Wlen
Analdi Gra. Scribonium.

De Veneficis, Johan Zurich.

2

AVTHORI-
TATIS IVRIDĪ
CÆ BREVISSIMA DE-
LINEATIO,

*Commilitonibus suis, interim dum
ipsa frui nondum licet, favoris ergo,
sine pompâ, sine verborum appa-
ratu, verè sincerè commu-
nicata*

à
VALENTINO GVILIEL-
MO FORSTERI, IC. FIL.
V. I. D.



VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii.
M. D. XCIX.

IOACHIMO ERNEſTO
à Lattorff, Equiti Anhaltino.

VALENTINUS GUILIELMUS FOR-
sterus D. S.



Ediisti, rediisti, Nobilitatis veræ verum
decus, Lattorffii atque quidem ex templo,
quando paginas has conficiebã. Vnde cer-
te nõ iniuria fecero. si, quod aiunt, in limi-
ne protinus excepero, & postliminii iure
consuetudinẽq; salvere te iussero. Sed non
cesso totam tibi rem explicatiũs explicare; cur nãm
has ediderim, cur tibi dedicãrim. Locus, quem dicimus
testimoniorum, præ aliis in iure nostro, multum est ambi-
guus & difficilis, ut in eo non solum Iustiniani novi, sed
& Prolytæ, qui iam culmen eruditionis iuridicæ sibi vi-
dentur obtinere, frequenter impingant; quod per qua-
drienniũ hoc, dũ in ætate minorenni constitutus, publi-
cè privatimq; de difficilissimis rebus disputo, satis sum ex-
pertus. Quapropter in animum induxi meum, singula-
rem aliquem eã de re Tractatum conficere, in quo per re-
gulas, exceptiones, rationes & exempla, quid in iure de-
beat authenticum haberi, demonstrarem. Inq; eo, Deo
sit laus, iam aliquid perfecti. Veruntamen difficultas
rei, quæ summa est, deterret, quo minus hoc seculo, mo-
mis referussimo, divulgem. Accedit eò, quòd Præfata
sint admiscenda, quorum ego quòd non sim potens, non
diligentia, non voluntas impedit, sed ætas. Nec tamen
omnino pœssum commilitonibus deesse. Sed interim hæc
paginas communico. Tibi verò quòd dedicavi, mi Lat-
torffii, fecit singularis, quo te non immeritò complector, a-
mor, profectus in iuris studio tuus satis amplus, & Philo-
sophiæ non fictæ, sed veræ cupiditas. Tu paginas has ac-
cipe, posside: si fuerint ablata, conditione repete,
vindica; denique frueris iure dominiũ,
& bene vale.

AUTHORITATIS
Iuridicæ brevissima deli-
neatio.



Sacra scriptura ad di-

*Sacra scri-
ptura.*

*sputationem & decisionem caus-
sarum allegari potest: non tamen
omnino, non tum si neque præcipiat aliquid,
neque prohibeat, sed saltem permittat, non
etiam secundum omnes partes uno modo.*

*Ius enim divinum vetus continet mora-
les leges, continet ceremoniales, continet fo-
renses seu politicas, continet exempla Patri-
archarum, & aliorum piorum hominum.*

*Morales leges, id est, præcepta Decalo-
gi & iura nobis naturaliter indita, necessita-
tem habent adhuc hodie parendi. Argumen-
tum igitur ab iis ductum est necessarium.*

*Morales
leges.*

*Ceremonia verò veteris testamenti, cada-
vera sunt exanimata, jamjam sepelienda, se-
cundum Augustinum. Non igitur mi-
rum, si nos nihil stringant, utpote que vel in
veteri testamento legantur hinc inde subla-
ta.*

*Ceremo-
niales le-
ges.*

*Sed & politia Mosaica deserbuit, imò ex-
tincta est. Simul igitur & leges politica
Moysis. Utantur iis, per nos licebit, reliquæ
Iudeorum, si quedam supersunt, si velint.
Nos certè neutiquam iis tenemur; Nisi for-*

*Leges Po-
liticæ.*

san in novo fœdere fuerint repetita, vel per
eum, qui potestatem habuit legis condende,
post novum testamentum approbata.

Exempla
Patriar-
charum.

Exempla sanè piorum in veteri testa-
mento nobis sunt sequenda; & ad decisionem
litium, præsertim ubi jus est controversum,
multum faciunt. Nisi tamen ipsis specia-
liter aliquid sit concessum, vel mandatum,
aut apud nos aliud legibus vel moribus sit re-
ceptum: aut nisi exempla magis judicia re-
spiciant quàm mores, ut loquitur Tyraquel-
lus.

Novum
Testam.

Fœdus novum si quas leges continet, iis
omnino tenemur & obligamur: Nisi præce-
pta sint perfectionis, quale est: Si quis te per-
cusserit in maxillam, vade, & alteram illi
præbe &c.

PATRES.

Patrum, Augustini, Hieronymi & ali-
orum dicta, juridicam auctoritatem ex sese
nullam habent; quicquid Paulus de Castro
dicat. Fuerunt enim homines privati. Im-
igitur dicere non potuerunt. Tum aliquid
ius forsan tribui posset, si de lectionis contro-
verse veritate contestarentur. **COGI-
TATE.**

CONCI-
LIA

Synodis etiam & conciliis, puta Ancyrano,
Aquisgranensi, Ariminensi, Lateranensi, Pi-
sano, Sardicensi, Tridentino similibusq; pro-
pter eundem jurisdictionis defectum, auctori-
tatē juridicam denegamus. Quatuor tamen
Œcumeni-

Oecumenicis, Nicenâ nimirum secunda, Constantinopolitana, Ephesine prima, & Chalcedonensi, multû tribuimus, propter sanctionem Iustiniani, quâ voluit, predictarum quatuor synodorum regulas sicut leges observari.

Querit Cothmannus, An Augustanam Ius Canon-
confessionem profitentes jura Canonica obli-
gent? Affirmat, & rectè; non quidem quòd
Gratianus Decretorum author sit authen-
ticus; non quòd authoritas Pontificis suade-
at, neq; quòd id. jus singulari vel pietate
vel equitate sese commendet: Sed propter vim
usus longevi seu consuetudinis, ut ait Cœdd.
Quapropter ut in jure consuetudinario fieri
debet, ratio diligenter inquirei debet, quam si
nullam, aut non commodam, cur à jure civili
recessum sit, deprehenderitis, canones vobis
dixavovæ sunt: præsertim si sint noviores:
rum enim plerunque sunt corruptiores, juxta
Martyrem. Illos certè ceu pestem quantû po-
testis fugite, quorû author est Innocētius ter-
tius, Bonifacius seu Malifacius potius octa-
vus, & Iohan. vicesimus secundus pontifex.
Hi namq; fuerunt, qui sensim omnia cœlestia
& terrestria pedibus suis subicere, prout dicit
Albericus, studuerunt. Hi, quod ridiculum
est dicere secundum Ferrariensem, atq; ab-
ominabile audire, in ipsum Imperatorem su-
perioritatem habere nitebantur. Hi nihil a-
liud cogitabant, meditabantur, faciebant,

quàm ut regnum. si regnum modo non tyrannis dici debet, dilatarent, eruscatione ditarentur, & sanguine aliorum saginarentur: quod & exitus contestatum fecit, quando Iohan. 22. auri ducentas quinquaginta tonnas heredibus suis reliquisse, proditum in antiquitatum monumentis legimus.

Ius naturale.

In omnibus autem causis, maximè tamen in Iure, spectari debet jus & equitas naturalis.

Ius Civile.

Sunt tamen qui existiment, si civilis equitas cum naturali circa facti speciem concurrat, illam huic preponendam: quod ratione non omnino caret.

Ius Iustinianicum.

Porro Iuri civili Iustiniano palmam auctoritatis juridicæ præbemus merito, tum propter summam, quæ inest ei juri plerumq̃, rationem equitatis, tum quòd Monarchia Romana sit in Germanos devoluta: tum quòd Lotharius Saxo, Germano-Romanus Imperator, idem jus approbavit, & nove nobis proposuerit: tum quòd alii subsequentes Imperii Romano-Germanici Imperatores, ad hunc nostrum Inviçtissimum usque Rudolphum, similiter fecerint, ut ex Recessibus apparet.

Quapropter omninò jus Iustinianicum in foro quoque conscientie valebit: Nisi fors suadeat saltè vel permittat: aut sit contra verbum Dei, & repugnet æterno fini (Cuius

ius

ius exemplum esse potest interim dum plura
communicem in l. 4. C. de malefic. & mathe-
mat.) aut sit ei statuto vel consuetudine de-
rogatum, de cuius exceptionis sine finis pagi-
narum harum docebit. Sunt etiam, quod be-
ne notandū est, multa Iustiniani juris loca,
non ipsius Iustiniani, sed apocrypha: exempli
loco, l. 2. C. de feriis & Novell. 9. &c.

Insunt etiam simul ei juri nim. in Codice Authentica
quedā, quæ sic dicuntur, Authentica privati
cujusdā hominis, sive sit Irnerius sive Bulgā-
rus, studio (una saltem Auth. Habita. C.
De fil. pro patre excepta: quam Fridericus
primus de privilegiis studioforum promulga-
vit, atque in suo loco conspicuam esse voluit.)
collecta, & eam ob causam inserta, quò sciri
possit, quanam Codicis leges per quas Novel-
las sint correctæ, prout dicit Donellus Doctor
noster. Itcirco non puto eas habere vim le-
gis, nisi quatenus consentiant cum Novellis
constitutionibus, ex quibus desumptæ fuerunt,
cum Clarissimo Julio Pacio. Habentur et-
iam in corpore juris, quod Clariss. Gothofre-
dus optimum nobis in publicum dedit, No-
vella Leonis, & aliæ nonnulla, quæ propter an-
tiquitatis cognitionem legi non inutiliter
possunt; atque in antiquarum legum intelle-
ctu plus forsitan merentur, quàm scholasticus
Interpres, si Zuichemo credimus: autho-

ritate tamen juridica planè destituntur, ex
traditis Cusacii: tum quòd non sint recepta à
populo: tum quòd sint ab insequentibus Impe-
ratoribus paulatim abrogata: tum quòd in
jure, nobis à Lothario Saxone restituto, non
contineantur.

Feuda,

F E V D A juris Romani quidem pars
non sunt: omnium tamen ferè nationum usus
libros nostros feudorum in feudis comproba-
vit, inquit Doctòr noster.

Quibus
volumini-
bus ius Iu-
stiniane-
um com-
prehenda-
tur.

Ex his patet, quibus voluminibus Ius Iu-
stinianicum comprehendatur, & quid pro in-
re Iustiniano, cuius quamdiu spiritus hos re-
get artus, acerrimi semper assertores erimus,
nos authenticum habeamus. Sunt nim. ea
volumina quatuor: **DIGESTA, CO-
DEX, INSTITUTIONES &
NOVELLAE.**

LECTIO
vulgaris
& Floren-
tina.

At cuius Digesta lectionis admittamus,
queris? R. Florentinū seu Pisanum archety-
pum, licet matrices Iustiniani Pandectas nō
contineat; ceteris tamen est vetustius, & sic
merito venerabilius, iuxta Coras. Cuius Go-
thofred. & alios: Vel propter egregium istud
istorum duorum Iureconsultorum (sive Bar-
tolus fuerit & Baldus: sive Bartolus & Ac-
cursus) exemplum, qui Pisas aliquando nun-
cium ad veritatem lectionis eruendam mise-
runt. Attamen si ex vulgari lectione pu-
gna vel iniquitas, vel absurditas non prodeat
resul-

resultet: tum à Florentina lectione quandoq; recedere, melius erit & æquius, inquit Gædd.

Nentiquam igitur in his admittimus Leges LL. XII. tab. vel olim antiquatas, teste Bodino. Sed nec fragmenta, quæ ex Codice Theodosiano, Gregoriano, Hermogeniano: ex Novellis Theodosii, Valentiniiani, Martiani, Maiorani, Severi, &c. ex Institutionibus Cæj, ex corpore Ulpiani, ex sententiis Iulii Pauli, ex responsis Papiniani vel Papiiani potius Burgundionis, & similibus, præclarissimi Cuiacii beneficio nobis supersunt.

Neque ea, quæ à Rufino, vel alio quocumq; in Mosaicarum & Romanarum legum collatione collecta; à doctissimo verò Petro Pytheo luci lucidisq; notis sunt donata.

Nam in iis omnibus & similibus legibus, Senatusconsultis, veterum iuris authorum fragmentis, nisi quid his libris Iustinianicis probatum sit, non est auctoritas iuris, neque ea partibus iuris sunt habenda: ut profectò in his diligentius conquirendis labor esse possit ad antiquitatis nonnullâ cognitionem & exinde legum antiquarum interpretationem utilis, ad iuris constitutionem & considerationem sit supervacuus; teste Doctore nostro.

Quod ne somnium videatur, aut ex ipsius cerebro natû ad Cuiacium forsan obtunden-

A 5 dum

*dum, producam hîc ipsissima Iustini ani sum-
mi principis verba, que ita habent: Hæc
itaque leges & adore, & observa-
te, omnibus antiquioribus quiescen-
tibus, nemóque vestrum audeat vel
comparare eas prioribus, vel si quid
dissonans in utroque est, requirere:
quia omne, quod hîc positū est, hoc
unicum & solum observari cense-
mus. Nec in iudicio, nec in alio
certamine, ubi Leges necessariae
sunt, ex aliis libris, nisi ab iisdem In-
stitutionibus, nostrisque Digestis &
Constitutionibus, à nobis compo-
sitis vel promulgatis, aliquid vel re-
citare vel ostendere conetur: nisi te-
merator velit falsitatis crimine sub-
jectus unà cum Iudice, qui eorum
audientiam patiat, pœnis gravissi-
mis laborare. *Et alibi:* Hunc igitur in
æternū valiturū iudicio tui culmi-
nis intimare perspeximus, ut sciant
omnes tã litigatores quàm disertis-
simi advocati, nullatenus eis licere
de cætero constitutiones ex veteri-
bus tribus codicibus, quorum jam
mentio*

mentio facta est, vel ex iis, quæ novellæ cōstitutiones ad præsens tempus vocabantur, in cognitionalibus recitare certaminibus, sed solum eisdem nostro Codici insertis Constitutionibus necesse esse uti: falsi criminis subdendis his, qui contra hoc facere ausi fuerint: cum sufficiat earundem Constitutionum nostri Codicis recitatio, adjectis etiam veterum juris interpretatorum laboribus ad omnes dirimendas lites: nullaq; dubitatione emergenda vel eò, quòd sine die & Consule quædam compositæ sunt: vel quòd ad certas personas rescriptæ sunt: cum omnes generalium Constitutionum vim obtinere procul dubio est, sed & si quæ earum constitutionum, detractis vel additis vel permutatis certis verbis (quod & ipsum præfatis excellentissimis viris specialiter permittimus) compositæ sunt: nullis concedimus ex libris veterum juris interpretatorum aliter eas habentes recitare, sed solam juris interpretatorum

torum sententiam commendare;
ut tunc teneat, cum minimè ad-
versetur ejusdem nostri Codicis
constitutionibus.

Græci in-
terpp.

De Græcis scis quid haberi velim? Nim.
id quod Doctor noster, id quod Anton. Fa-
ber, Id quod Egidius Hortensius, id quod
Guilielmus Fornerius, & alii, id est, nihil aut
certè parum. Doctor noster sic loquitur:
Sed opponitur nobis auctoritas
Harmenopuli. Gravis scilicet au-
ctor Harmenopulus, & dignus cujus
audiendi causâ vadimonium dese-
ratur. Credo, quia Græcus est, & a-
lienâ linguâ non latinâ utitur. At
vide, quàm à plerisque, qui istum no-
bis obtrudunt, dissentiam. Ego si
quid verum me habere credam, con-
tinuò mihi suspectum fiat, si idem ab
Harmenopulo positum videam, de quo
homine non necesse habeo dicere
quod sentio, & quod homines erudi-
ti, cum parcissimè loqui volunt, de
eo dicere solent, hominem peregri-
num fuisse, in jure Romano non sa-
tis exercitatum, sæpe etiam rudè vi-
deri &c. *Ita loquitur Faber: Basilicorum*
authori-

authoritas neque tot librorum au-
 thoritati, neque Iuris rationi videtur
 anteponenda. *Sic Hortensius:* Iam
 igitur quis non tollat cachinnum de
 Græcis Interpretibus, aut quicumq;
 eos potius quàm Accursiũ sequun-
 tur &c. *& paulò inferius:* Sed ne
 Græcos levitatis accuses, certè be-
 ne sibi constant, & graviter menda-
 ces sunt, &c. *Sic Fornerius:* Scio Har-
 menopulum accisè relatâ Papiniani
 sententiâ adversus locatorem & ven-
 ditorem indistinctè pronunciaſſe.
 Sed is non est nobis hujus rei fun-
 dus: atque haud scio, satin' sani si-
 mus in dijudicandis Romanorum
 scriptis, si perpetuò à Græculorum
 scriptis dependeamus, & quicquid
 μεταφορικῶς attulerunt, ad digiti cre-
 pitum protinus amplectamur & pro-
 bebimus. *Hæc illi. Sanè τὰ βασιλικὰ seu* **Basilica.**
ἔξικον τὸ βιβλίον volumen quoddam est ce-
teris ἀυθεντικώτερον, ut ait Nobiliss. Leun-
clavius, exinde forsàn quòδ φιλοσοφώτερον
Leonem authorem habeat: at verò si pluri-
imum ei concedamus, declarationis vim con-
cedemus, authoritatem iuridicam nunquam:
id est,

id est, ut cum Cl. Gæddeo loquar, libri Basili-
ci magnoperè quidem ad illustrandam & in-
terpretandum faciunt: minus justè & dextrè
ad emendandum, interpolandum, corrigèn-
dum & decidendum adhibentur: Eccur plus
his demus quàm eiusdem Leonis Novellæ?
cum satis constet, quantoperè libenter à Iusti-
niano Leo dissenserit? cum ne sanctiones qui-
dem ipsius unquam receptæ fuerint? cum Lo-
tharius nulla nobis eiusdem vestigia proposu-
erit? cum publicâ careant autoritate, ma-
ximè in hoc Occidentali Imperio? in quo
nunquam sunt publicè recepti, ut loquitur
cum Zuchemo Gæddeus. De cæteris scil.
Harmenopulo, Theophilo, Thaleleo, Eusta-
thio, authore τῶ κτ' ἰωδ' αε, & similibus, res
est expeditior. Scripserunt enim quicquid
scripserunt, ut homines privati, non secus atq;
latini Iuris Interpretes.

Harmeno-
pulus, The-
ophilus
&c.

Taceo quòd ad sui fori formã nonnulla com-
mutarint. Taceo, quòd mentem legum latina-
rum non semper fuerint assecuti, taceo, quòd
dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ. Plures
caussas & plurimos ac infinitos ferè Græco-
rum errores habebit autoritas juridica:
nunc obiter indicasse sufficiat, maiorè Græco-
rum: quàm Bartoli, Baldi, Donelli, Cujacii,
reliquorumq; latinorum Interpp. autorita-
tem non esse, imò ferè minorem: ut non im-
meritò dixerint alij: in foro libris Βασιλι-
κῶν

non (de reliquis idem esto iudicium.) nul-
lum esse locum, in schola non esse debere,
quicquid etiam Cuiacius contradicat &
Anton. Contius.

Ceteram indici Iureconsultorum, in
quo docetur, ex quot antiquis auctoribus &
libris ab his factis composita sint Digesta, ne-
scio nun sit habenda semper fides, aut authori-
tas concedenda: Nam in eo multi libri de-
sunt, ut observavit Cuiac & Petr. Pythæus.

Index Iu-
reconful-
torum.

Sed & id mihi valde debile argumentum
videtur, quod ab inscriptionibus, lapidibusve
vel antiquis Scripturis petitur, aut desumi-
tur, cum Frid. Tilemanno & Gæddæo.

Scripturæ
lapidibus
insculptæ.

Quid enim si indoctus scripsisset mona-
chus? quid si corrupta esset scriptura lapi-
dum? quid si a posteris innovata & barba-
rissima fuerit reddita?

Illud utiq; positum est extra dubitatio-
nis aleam, non tam spectandum esse quid Ro-
ma fiat, quam quid fieri debeat: & ut Insti-
tmanus loquitur, Non exemplis, sed legibus
iudicandum esse. Nisi forsan exemplum in
ius consuetudinis transierit, aut evidenter
instam sit, aut jus de casu non reperiatur
expressum &c.

Exempla.

Querat aliquis cum Paulo de Castro,
Num in iure nostro sit licita argumenta-
tio Philosophorum, Poetarum, &c. id est, an
sit eorum autoritas iuridica? Equidem

Poetæ, Phi-
losophi,
Philologi.

Paro

Paulus de Castro, simplicitate sui seculi de-
ceptus, affirmat conditionaliter, si vid. desit
LEX vel Canon. Alij, non alias ineruditi
nostratis huius cultioris & eruditioris ævi vi-
ri, tam animo sunt effascinato visus, vel
certè suo genio ingenioq; tantū blandiuntur,
ut artis vel scientiæ potius iuridicæ, quā profi-
tentur, immemores, audeant imò soleant præ-
conceptis heri vel nudius tertius opinionibus
inventutem inescare, & ad Horatium, Persi-
um, Iuvenalem, Senecam, & similes Philolo-
gos, ut inde iuris principia discant, ut inde
æquiq; boniq; cognitionem arripiant, ut inde
iuris scientiam hauriant, ablegare; nimirum
sine ratione, sine iudicio, sine delectu. Quod
non insectabor quidem.

ἔνθεος γὰρ
τοὺς εὐνάεας τῶν λόγων λίαν ὀξετάζει, ait a-
libi Cujac. Meminisse tamen eos velim, Le-
ges & iura distinctissimas à præceptis Ethicis
resesse; meminisse velim, omne jus parendi
necessitatem continere, privatos autem ho-
mines eam necessitatem imponere nequivisse.

Mihi vero longè melior in animo rese-
dit sententia, planè superiori contraria, utpo-
te qui putem, si quid omninò de limitibus ar-
tium confundendum sit, atque de jure fini-
um regundorum remittendum, tum Latini
sermonis puritatem ex reliquiis potius jure-
consultorum peti debere, quàm leges ex Poë-
tarum & Grammaticorum scriptis. Namq;
cu-

Cuiacius inquit: Iureconfulti sunt peritiores
verborum, quam Grammatici: & alibi: Iure-
confulti subtiliter distinguunt rerum voca-
bula, suntq; vocabulorum observatores. Ho-
tomann. ait: Iureconfultorum summus circa
proprietaem verborum labor est: Cuius rei
multa satis exempla in auctoritate iuridicâ,
permittente Deo, cumulabimus. Rectius igitur
et verius videntur alij mihi dixisse: Gram-
maticorum doctrinam pertinacem in hac no-
strâ legali sapientiâ rejiciendam. Item, in
vanitate sensus & obscuritate mentis ingre-
di, qui diebus ac noctibus in Dialecticâ tor-
quetur. Verissimè videtur mihi dictum ab
Hotomanno: Iureconfulti non semper ob-
servant subtilem Dialecticæ rationem.

Quod & Iulianus antea dudum animad-
verterat, quando dicit: Multa jure civili
contra rationem disputandi pro utilitate
communi recepta sunt. Verissimè rursus ab
Hotom: Aliud loquendi genus est Iurecon-
fultorum, aliud Oratorum. Neq; temerari-
um est hoc Petri Pythæi de Quintiliano judi-
cium: Quintilianus multa fingit scholasticâ
licentiâ, quæ in foro nullus prudens dixerit.
Optimo tandem (ut breve faciam) jure vi-
dentur alij Varronis, Isiodori, Festi, Livii,
Taciti, Hippocratis, & similium authorita-
tem posthabuisse, nec eis locum in jure nostro,

B

vel

vel vim decisivam dedisse, reliquisse. At
inquit aliquis; tun' Dialecticam, & alias,
que ministrare solent, artes in jure non ad-
mittis? tun' à lectione Philosophorum & Phi-
lologorum avocas? tun' de Græcorum inter-
pretum & veteris jurisprudentiæ gloria deli-
bas? At, inquam ego, neququam. Quin po-
tius ipse didici, legi, disco, lego, atque usurpo
quotidie. Hoc saltem; ut intra limites sese co-
hibeant volo, auctoritatem juridicam ipsis
denego: vim & potestatem litium ac dispu-
tationum juridicarum decisivam adimo. At,
inquit aliquis, juris latores veteres, & Insti-
tutus non fuerunt dedignati Virgilium, Ho-
merum, Hippocratem & alios allegare, atque
propter eorum auctoritatem aliquid recipere.
At inquam ego cum Corasio denuò:
Eatenus eorum auctoritatem reci-
pimus, quatenus horum virorum
Canones leges nostræ receperunt.
Nec ideo, quod Hippocratis hæc, &
Platonis alibi, Aristotelis aliorum-
que præcellentium virorum citata
sententia magna cum laude recepta
fit: idcirco etiam aliorum, aut etiam
eorundem virorum, alia in re nomi-
natim à jure nostro non probata ne-
cessario recipienda est. Alioqui cum
ubi-

ubi que impingant, passimque inter-
se dissideant opinionibus, ut nescias,
cui credendum sit: nihil certi adfer-
re posses.

Postremò queritur. *Quenam sit autho- Practica.*
ritas tribuenda juri Saxonico, stylo curie &
judiciorum, practica, glossa, Doctoribus,
communi opinioni, statutis seu juri municipi-
ali, consuetudini, arrestis, vetustati, judi-
ci, sententia, rei judicata &c. Et sciri de-
bet, auctoritatem ius esse partim maximam,
partim magnam: sed potissimum in foro pra-
ctico. Quapropter cum iam propositum me-
um sit studiosis saltem iuris & disputatori-
bus, hisce meis paginis inservire, ea omnia &
singula in ipsam auctoritatem iuridicam lati-
us tractanda differo. Neque certè puto teneri
disputantem necessariò, talia, que magis usum
practicum concernunt, & exercitatum in fo-
ro hominè requirunt, vel ponere, vel ad ea re-
spondere. Quid enim si quis Germanus in Ita-
liam disputet vel in Galliam? quid si Batavus a-
pud nos? certum nim. & ubique locorum eun-
dem disputationibus scopum prefixum oportet
esse, quo colliment, & certum rectorem,
qui gubernet, nimirum ius civile Iustiniane-
um. Si tamen talia, que usum practicum
concernant, disputationi quis immisceat, &

vel in thesibus, vel in actu disputationis recen-
seat, cum bene inventuti consulere indico,
neg, culpo, sed laudo, atque paginas has
IN NOMINE DOMI-
NI claudo.





Epigramma

A D

CLARISSIMUM ET
Consultissimum virum, Dn.
VALENTINUM GUIL-
HELMUM FORSTE-
RUM, I. V. D.

DE AVCTORITATE IV-
ridica multa brevibus crudité
proponentem.

*C*um foret in dubio certamine *MAR-*
TIS ACHILLES,

Pro rapta ducens bella Pudicitia :

Ecce suum miserata THETIS Dea ceru-
la natum,

Mulciberem votis est venerata Deo-
um:

Scilicet ut clypeum divina fabricet arte,
TROIA tuis quo sit tutus ab insidiis.

Sic quoque nunc, postquam (de me velut IL-
L E triumphat)

Lethali nuper vulnere procubui :

B 3

Te



Te mea *MVS* Arogat, (qua nunc emor-
tua penè est)

Mi *FORSTERE*, tuo vivat ut
auxilio.

Nam quid tunc merui, Duce cum sub *V-*
STINIANO,

Virtutum Domine milito *IVSTI-*
TIAE?

Ergo quod quondam *Vulcania LEMNOS*
ACHILLI,

Hoc mihi tu, nostrum corige vulnus, eris.
Quodq; facis, sanctè semper cole *IVSTI-*
NIANVM,

Non alios, quicquid ganniat *ILLE*,
Vale.

Vt debui, non ut volui.

Cornel. Theod. Hagen.
Batavus.

Idem, ad *Zoilum*.

Cui non auditus tuus est Phryx *MAR-*
SYA casus,

Sanguine cum fieret pinguior herba
tuo?

Scilicet illuderat, quod te neg, Tibia *PHOE-*
BI,

Nec summi poterant ora movere
DEI.

Quid

Quid te (NEPTVNUM quod amas)
Elateie CÆNEV,

Ledendus cum non ullius arte fores:
CENTAVROS diu luctatum cadere
ante coëgit,

Et virides victo vertice ferre trabes?
Scilicet illud erat, quod nec tibi temnere Di-
vos

Vile, nec in magnum vertere tela IO-
UEM.

Talibus exemplis, (quisquis quoque ZOI-
LE Tu sis)

Alterius fame parcere disce. Vale.






X

VD16 ✓
D

X





AVTHORI-
TATIS IVRIDĪ
CÆ BREVISSIMA DE-
LINEATIO,

*Commilitonibus suis, interim dum
ipsâ frui nondum licet, favoris ergo,
sine pompâ, sine verborum appa-
ratu, verè sincerè commu-
nicata*

à
VALENTINO GVILIEL-
MO FORSTERI, IC. FIL.
V. I. D.



VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii.
M. D. XCIX.

